

MONASTERIA B. THEOGERI.

287

themio teste ad annum 1087. Theogerus novum virorum monasterium in castello Luckesheim e fundamentis extruxit, quod suo suorumque successorum imperio in perpetuum subiecit. *Hoc videlicet castrum Luckesheim*, subdit, *Wolmarus Gallica gentis comes, de magnis periculis inimicorum suorum precibus B. Theogeri liberatus, pro gratiarum actione monasterio D. martyris Georgii spontanea voluntate contulit, & ut in cœnobium Dei commutaretur fervorem instantissime rogavit. Monasterio itaque consummato in eodem loco, ubi prius steterat castrum, salutis animarum studiosissimus inquisitor Theogerus monachos de suo cœnobio imposuit, quibus Priorem sanctum & religiosum dedit. Comes autem Wolmarus, qui castrum illud omnipotenti contulit, triduo ante mortem vocato S. Patre, monasticum ab eo habitum suscepit, munitusque ex more fidelium sacramentis ecclesiasticis in Domino quievit.* Sita est hæc Cella in episcopatu Metensi, prima inter plures alias posita in Bulla Alexandri III. post quam secundo loco venit cella S. Ioannis in prædio Megenheswilre in Alsatia.

SECVLUM
XI.
P. 284.

Hac autem omissa Trithemius mox celebrat aliud, quod etiamnum in vicinia nostra subsistit, a B. Theogero constructum Amptenhusanum virginum cœnobium in latere montis, quem miliaribus germanicis fere quinque a S. Georgii monasterio distare dicit, in quo centum circiter sanctimoniales sub regula SS. P. N. Benedicti Domino famulantes congregavit. Quarum institutum memoratu dignum posteriorum temporum moniales confundit, avium more ea in choro cantantes, quæ haud intelligunt. At vero, ut in aliis puellarum monasteriis, ita etiam in Amptenhusano nullam esse licebat, *quæ non de psalmis aut aliis scripturis quotidie aliquid disceret. Inde omnes pene latini sermonis habebant notitiam, & quidquid legebatur, intelligebant, quod non parum ad internæ compunctionis gratiam videtur conferre. Diebus festis orationi vacabant omnes, aut lectioni, nec quidquam operis perituri emolumentum tractare consueverunt. Aliis vero diebus manuum instabant operi distributo. Unus omnium habitus, unus cibus & potus, unus iuxta regulam vivendi modus, victu & amictu exceptis nulli quidquam habere licuit. Earum a viris tanta separatio fuit, ut monasterium quæ semel fuisset ingressa, nullatenus unquam exiret.*

Aliud postea commemorat S. Marci dictum pariter monialium cœnobium, inops antea & exiguum, quod Theogerus ita muris, ædificiis, & possessionibus ampliavit, ut brevi etiam non minus quam centum similiter in eo sanctimoniales congregaret. Tum vero subdit, tantam multitudinem Deo sub eius magisterio famulari cupientium ad eum confluisse,